

„stitutorum, vtramque partem pristinae sententiae finito colloquio for-
„tius inhaesisse, et non nisi odium minus inter dissentientes hinc fuis-
„se ortum; ego vero nihil ardentius cupio, quam vt Tuus, Domine,
„fauor celsissimus in me, meosque sit perpetuus mihique diligentissime
„cauebo ab omni eo, quod imminutionem eius inducere possit. „

Haec omnia *Feuerlini* verba sunt: quae quidem ob prolixitatem non transcribenda erant in *Observationes* meas, quum eorum series argumento meo affinis non erat. Ego in summam ea contraxi, idque **V N U M T A N T U M**, quod *Feuerlinus* ipse respondere nollet, ipsis huius viri verbis tamquam historicus narraui, his verbis usus:

„Multi iam ex eo tempore praeterlapsi sunt dies, quum ea mentem
„subierit cogitatio, quod ipse observationibus quibusdam has litteras illu-
„strare vellem. Quum vero conjectae essent, denuo abieci proposi-
„tum, nec ad illud, nisi per harum litterarum abusum per quemdam
„presbyterum Benedictinum contra me factum, denuo reuocatus sum.
„Satis neruose quidem respondit Cardinali S. V. *Feuerlinus*, nec sine caus-
„sis grauissimis uberioris examen omisit. Ita ille: *Verum enim vero*, (ni-
„mirum antea dixerat, quid respondere posset, etc. his verbis quidem satis
„neruose multa attulit, quae *Quirino omnino placere non potuerunt*) *quam-*
„*uis defensionem religionis meae etc.* Hinc sequuntur verba iam superius ad-
„legata, usque ad: *inducere posse*. Post quae pergo: Optimam hanc ais-
„rationem, vt haec ipsa et me facile mouere potuisset ad omnem rem,
„quae etiam (non diffiteor) aliquam Theologorum nostrorum partem
„in attentionem erexit, silentio legendam. Sed quum non desint, nec
„defuturi sint in posterum Pontificiorum defensores, qui his, simili-
„busque mire abutantur ad incautos in Ecclesia nostra decipiendos: ne-
„mo non videbit, *informationem nostrorum hominum omnino necessariam*
„esse. Hoc perspiciens, in publicum demum prodire has plagulas pa-
„sus sum. Nolo quidem hac scriptiuncta *controversiam mouere* Pontifi-
„ciis, utpote qui veritatis impatiens sunt, nec se conuinci passuri,
„sed (vt *Feuerlini verbis utar*) pristinae sententiae fortius inhaesuri, no-
„strosque-maiori odio prosecuturi: sed *admonitionem scribo pro fratribus*
„*Euangelicis*, quorum plurimis forsan in mentem venit, *Paulum III*, et praeci-
„pue nouos Papales nostro tempore viuentes, mitiori lingua utentes, an-
„gelos lucis esse et filios veritatis. *Latet anguis in herba*, nam blandimen-
„tis iam omnis res agitur. „

Dixi ergo *Feuerlinum* neruose iam Tibi respondisse. Nonne enim
respondit? nonne attulit, quae defendendi causa respondere posset?